

1537 committerent : Byzantium cum attigisset, in carcerem conjectum, deinde in Hellespontica turri detrusum, in qua antea Nicolaus Justinianus, cui ille successerat, & complures mercatores inclusi fuerant : eo in loco cum multis incommodis conflictaretur, ad Ajacem, supremum Bassam, & Janusbejum scripsisse : adversus fidem, ac jusjurandum teterrimo carcere contineri, eductum non ita exili animo esse, ut fugam meditari vellet ; mortem minime expavescere, quam patriæ interventem obire decorum arbitraretur : Ajacem per Ursinum illum edocuisse, si damna a nostris illata, quæ ad vigintiquinque aureorum millia essent, sarcirentur, haud difficile fore, per oratorem designatum pacem cum Suleimano instaurare ; cui, ut tuto Venetias Byzantio commeari posset, facultatem, fide interposita, concessisse. Hæc Canalis captivi literis continebantur. Ursinus vero, potestate itineris legato ab Ajace impetrata, Neocastrum perrexit, atque ibi viæ comites, qui illum præstolarentur, reliquerat. Ea omnia ut Principum legatis enunciarentur, Senatus decrevit : Pontificio, atque Cæsareo adjectum : constantem de fœdere ineundo, multis quamvis de concordia conditionibus a Turcis oblatis, voluntatem in Republica manere : quocirca, ut, quæ bellum ingens requireret, in iis sedulo, atque enixe comparandis insisterent, orare, ac flagitare.

Ajaci petitiones unde pax instauraretur.

Conditiones a Turcis propositæ Principum oratoribus significatæ. Senatus constantia in fœdere.

M. D. XXXVIII.

1538
Venetis subsidia in Orientem mittere decernunt.

INde cum omnes rationes concordix ineundæ penitus abjectæ viderentur, sedulo quæ ad maritimas Reipublicæ ditiones muniendas attinebant, curari Patres urgebant ; triremium numerum augeri ; conscribi milites ; colligi commeatus ; bellicos apparatus instrui. Naupliis milites in subsidium, atque annonam flagitantibus quadringenti pedites, bis mille festarii frumenti, quatuor aureorum millia fuere transmissa. Classis imperatori, qui Corcyræ tunc erat, præceptum, ut quammaximam posset commeatus vim, ac bellicorum apparatus mitteret. Epidaurum pedites præsidarii ire jussi ; ut frumenti sexcenti festarii conveherentur, decretum : Cytheræ Aegæi insulæ præsidium auctum. Cretæ vero protegendæ cura haud parum Patrum animos sollicitabat, cum incolas, proximis